



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 7. De habitu spei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

præcepti non solum adultis peccatoribus, sed etiam iustis.

*Prob. Et 1. quod necessaria sit necessitate præcepti adultis peccatoribus, manifestè sequitur ex Prop. III. Nam illud nobis præceptum est, quod est in nostra potestate cum auxilio gratiæ, & sine quo justificari non possumus. Atqui actus spei theologicæ est in nostra potestate cum auxilio gratiæ, & sine eo justificari non potest adultus peccator. Ergo, &c. 2. Quod etiam necessaria sit necessitate præcepti iustis adultis, probari potest ex multis Scripturæ locis. Unus sit pro omnibus Psal. 61. ubi dicitur: *Sperate in eo omnis congregatio populi; effundite coram illo corda vestra: Deus adiutor noster in æternum*. Quibus verbis non merum consilium, sed præceptum contineri observat S. Thomas 2. 2. quæst. 22. art. 1. Q. Sed*

Quæres, quandonam præceptum spei obliget per se?

R. Præceptum spei obligat per se. 1. Ubi primum, moraliter loquendo, homo ulum rationis assecutus est, & sufficienter instructus de fine ultimo, de beatitudine, & de mediis quibus beatitudo redditur possibilis, & probabiliter futura: tunc enim tenetur homo sine vituperabili mora secundum æstimationem prudentum beatitudinem suam desiderare efficaciter cum firma in Deum fiducia, sicut tenetur ad finem suum ultimum se convertere. 2. In morali periculo mortis: tunc enim præcipue tenetur homo in Deum confidere, & ab eo beatitudinem suam debito modo expectare. 3. Identidem in decursu vitæ. Quoties verò hoc præceptum urgeat in anno v. g. æstimandum relinquatur iudicio prudentum.

Quæres, quandonam præceptum spei obliget per accidens.

R. Obligare, 1. Cum urget aliqua tentatio, puta tentatio desperationis, nec superari potest sine actu spei. 2. Quando sine actu spei exerceri non possunt actus aliarum virtutum, puta orationis, penitentiae, &c. & tamen illos exercendi instat obligatio.

Quæres, utrum præter præceptum spei affirmativum, detur etiam negativum?

R. affirmativè. Hoc autem præceptum, quod est de non desperando, & præsumptuose sperando, semper pro semper obligat sub gravi: nam desperatio & præsumptio sunt semper iniuriæ Deo, adeoque semper graviter prohibita. Porro levitas materiæ hic locum non habet, neque qui delinquit contra præceptum spei, excusari potest à mortali, nisi per defectum inculpabilem sufficientis advertentiæ. Hinc peccat mortaliter, qui non elicit actum spei, cum urget præceptum sperandi, & ad ejus obligationem advertit, vel saltem potest advertere. Item qui plus sperat bonæ terrenæ quam cælestis, ut si eligat bonis huius vitæ frui, bonis cælestibus Deo derelictis. Item qui ad vitandum æternæ damnationis periculum, aut annihilari aut nunquam exstitisse optat ex immoderato damnationis metu, & dissidentia de Dei misericordia vel gratia. Item qui desperat de obtinenda peccatorum venia, vel de obtinendis mediis ad assequendam beatitudinem necessariis. Item qui præsumit de misericordia Dei, sperando peccatorum remissionem sine penitentia, & salutem sine bonis operibus. Item qui præsumit de misericordia Dei, volendo usque ad mortem aut senectutem, in statu peccati permanere. Item qui sperat beatitudinem ut obtinendam solis naturæ viribus. Item qui non veretur peccata multiplicare, ex motivo quod faciliè per veram penitentiam deleri possint innumera peccata: quam unum aut alterum. Ratio est pro omnibus, quia gravem Deo injuriam faciunt, ut per se clarum est.

ARTICULUS VII.

De habitu spei.

PROPOSITIO I.

Datur habitus spei per se infusus & supernaturalis in entitate, qui vera & propria virtus est.

Prob. 1. pars ex Trid. sess. 6. cap. 7. ubi dicitur: In ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui infertur, fidem, spem, & charitatem. Quod autem hic Synodus loquatur de habitibus, non de actibus, patet ex eo quod loquatur de fide, spe & charitate, quæ infunduntur homini prius ad justificationem disposito per actus fidei, spei, &c. Ratio autem convenientiæ est, quia congruum est hominem intrinsecè & permanenter habilem reddi, cum justificatur, ad exercendos actus supernaturales fidei, spei & charitatis. Quod aliter fieri non potest, quam per infusionem habituum in entitate supernaturalium, se habentium per modum potentiarum, naturalibus potentiis superadditarum, eaque ad actus divinis ordinis exercendo complementum.

Prob. 2. pars. Quia ille habitus est vera & propria virtus, cuius objectum est optimum, & actus honestissimi. Atqui habitus spei objectum est optimum, & actus honestissimi: nam objectum ejus est beatitudo nostra, ut est summum bonum nostrum; & beatitudo nostra, ut est summum bonum nostrum, est objectum honestissimum, quod scilicet honestissime amare, desiderare, sperare possumus: unde actus quos elicit habitus spei, honestissime sunt in sua ratione specie. Ergo, &c.

Porro hæc ratio valet non solum pro habitu spei formato, seu cum charitate conjuncto, sed etiam pro habitu spei informi seu separato à charitate idem enim est objectum, & iidem sunt actus habitus spei, sive conjunctus sit cum charitate, sive sit ab ea separatus; & actus spei formati ab actibus spei informis in hoc tantum differunt, quod illi imperentur à charitate, hi verò non imperentur.

Dices. Qui habet tantum spem informem, indebito modo sperat: sperat enim beatitudinem ut obtinendam sine meritis. R. Neg. Cum enim peccator sperat beatitudinem, non eam sperat ut obtinendam à se: etiam in presenti statu peccati; alioquin non speraret, sed præsumeret: sed sperat eam ut obtinendam per meritum, quæ sperat, sicut & sperat veniam peccatorum ut obtinendam per futuram penitentiam.

PROPOSITIO II.

Habitus spei inter habitus theologicos medium perfectionis locum tenet.

Prob. Nam habitus spei minus perfectus est, quam charitas; & magis perfectus est, quam fides. Ergo, &c. Prima pars est planè certa, imò est de fide, & apertè colligitur ex Apostolo 1. Cor. cap. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: major autem horum est charitas.* Ratio à priori est, quia charitas tendit in Deum propter bonitatem ejus absolutam, spes verò propter bonitatem ejus respectivam. Atqui perfectius est tendere in Deum propter bonitatem ejus absolutam, quam in eum tendere propter bonitatem ejus respectivam. Ergo, &c. Secunda pars non est tam certa, sed tamen sufficientissime probatur sic. Habitus spei attingit Deum ut summum bonum nostrum, eique nos intime conjungit per amorem, quod fides nec præstat, nec præstare potest per actum suum, quo præcisè, & quidem obscure tantum ostendit nobis finem nostrum ultimum. Ergo, &c.

PROPOSITIO III.

Subiectum proximum habitus spei est voluntas, re-morum verò sunt supposita omnia intellectualia, actuum ejus capacia.

Prob. 1. pars. Nam subiectum proximum habitus est potentia, cuius sunt actus, ad quos inclinat habitus.

At-

Arqui actus ad quos inclinatur habitus spei, pertinent ad voluntatem: voluntatis enim est amare, desiderare confidere, timere, gaudere, & ad hos omnes actus inclinatur habitus spei: nam habitus spei inclinatur ad amandam beatitudinem amore concupiscentiæ, ad eam desiderandam cum erectione animi adversus ejus arduum, quod est eam sperare; ad fugiendam ejus privationem, ad sperandam media ad eam conducentia, ad gaudendum de ea obtenta. Secunda pars sequitur ex prima hoc ipso enim quod habitus inhaeret proximè alicui potentie rationali, hoc ipso, inquam, remotè inhaeret supposito, cujus est potentia illa rationalis.

Dixi autem, actuum ejus capacia: cum enim habitus spei non infundatur, & infusus non conservetur, nisi propter actus ad quos inclinatur, non infunditur, & infusus non conservatur, nisi in iis, qui actus illos omnes, vel saltem aliquos producere possunt.

Hinc 1. habitus spei non manet in damnatis; cum sint prorsus incapaces omnis actus honesti.

2. E contra manet in animabus Purgatorii, quia possunt exercere actum spei circa beatitudinem æternam, utpotè habentem respectu illorum rationem boni absens, possibilis, & ardui; cum illam non nisi per penam ignis obtinere possint.

3. Manet in beatis; quamvis non possint amplius sperare beatitudinem, cum sit ipsis præsens, & actualiter possessa, & in æternum absque omni difficultate possidenda: unde respectu illorum non potest amplius habere rationem boni absens, ardui, probabiliter futuri. At propter conjunctionem, quam habent nobiscum per charitatem, possunt nobis sperare beatitudinem nostram, prout est bonum nostrum, aliquatenus in bonum eorum redundans. Item possunt amare & amari amore concupiscentiæ beatitudinem. Item possunt gaudere & re ipsa gaudent de beatitudine obtenta, etiam prout est bonum & commodum proprium; quanquam amorem concupiscentiæ, quo Deum diligunt ut sibi bonum, & gaudium quo gaudent de Deo ut sibi bono, ex affectu charitatis referunt sicut & cætera omnia ad Deum, ut rerum creaturarum omnium finem ultimum. Unde beati sicut amant Deum duplici amore, concupiscentiæ scilicet & charitatis, quibus veluti duobus brachiis Deum arctissime amplectuntur: ita & gaudium duplici concupiscentiæ scilicet & charitatis, de Deo gaudent, & in Dei possessione suavissimè quiescunt.

4. denique, habitus spei remanet in peccatoribus fidelibus, qui gratiam sanctificantem non amittunt per peccatum ejus specialiter oppositum, quandiu in peccata hujusmodi non labuntur: possunt enim cum auxilio gratiæ actus omnes ad habitum spei pertinentes producere. Quod patet ex eo quod possint à peccato resurgere, & cum Deo in gratiam redire, quod sine actu spei fieri non potest, ut superius probatum est.

Quæres, quibus actibus intellectus dirigatur in operando habitus spei.

R. Habitus spei in operando dirigitur variis actibus intellectus; quales sunt isti: Possum salvari per Dei gratiam, & ad eam mihi dandam paratissimus est. Deus sincerè vult salutem meam, & nihil est, quod possit eam impedire, si velim, & velle possum cum auxilio gratiæ, quæ mihi præsto est. Certò salvabor, si gratiæ Dei non desum. Probabiliter salvabor, quia Christus pro me mortuus est, & sanguinem suum sudavit, ut mereretur mihi auxilia de se efficacissima, quibus bene uti propono firmiter. Deus omnipotens, summè misericors, & in promissionibus implendis summè fidelis est, & promissit mihi auxilia gratiæ quibuscumque salvari possum, & salvabor, si volo, &c.

Quæres, utrùm habitus spei expellatur per desperationem?

R. Habitus spei destruitur per desperationem oppositam actui ejus principali, qui est desiderium efficax beatitudinis cum erectione animi adversus difficultates. Unde desperatio opposita huic desiderio est

quædam animi dejectio & fuga à beatitudine ut prosequenda, quia judicatur impossibilis, aut nimium ardua, adeoque nunquam obtinenda. Quare objectum materiale hujus desperationis est beatitudo, à qua recedit; formale verò propter quod recedit, est malitia impossibilitatis, aut nimis arduitatis existimata. Responsionis autem ratio generalis pro omni habitu theologico est, quia habitus theologicus corrumpitur per actum sibi contrarium, ut patet ex fide & charitate.

Quæres, utrùm habitus spei destruat per præsumptionem?

Nota. Præsumptio, quantum ad præsentem materiam attingit, est vitium, quod virtuti spei per excessum opponitur, sicut ei opponitur desperatio per defectum. Præsumptio igitur, ut hic sumitur, consistit in quadam spei immoderantia. Quod fieri potest duobus modis. 1. Immoderatè innitendo propriæ virtuti, ut si quis speret se beatitudinem consequi posse per solas naturæ vires; & tunc est præsumptio Pelagiana. 2. Immoderatè innitendo misericordiae divinæ, ut si quis speret se beatitudinem consecuturum esse sine bonis operibus, & peccatorum veniam obtenturum sine penitentia; & hæc præsumptio est Lutherana. Dico autem habitum spei corrumpi hac utraque præsumptione, non solum quia utraque conjuncta est cum infidelitate, sed etiam quia utraque contrariatur actui principali virtutis spei.

Quæres, utrùm habitus spei destruat per aliquos alios actus malos?

R. Destruitur etiam per quodvis peccatum infidelitatis, quo corrumpitur habitus fidei; fides enim, ut docent Patres & Scholastici, est fundamentum totius ædificii spiritualis: adeoque ruente habitu fidei, reliquos omnes habitus infusos ruerè necesse est. Item per actus odii & contemptus beatitudinis: nam hi actus contrariantur huic habitui, cujus nimirum est inclinare ad amandam & desiderandam beatitudinem ut bonum nostrum. At non destruitur per omissionem etiam graviter culpabilem actus spei sicut nec per omissionem etiam graviter culpabilem actus fidei corrumpitur fidei habitus. Ratio pro utroque est, quia per solam omissionem actus fidei vel spei, homo non redditur ind dispositus ad credendum vel sperandum. Item non destruitur per inefficacem displicentiam beatitudinis, quia cum ea potest homo amare & desiderare efficaciter beatitudinem; neque per peccata tantum repugnantia charitati, vel virtutibus moralibus, quia peccata illa non contrariantur actibus ejus, nec in conservari pendet à charitate, aut virtutibus moralibus, & sine illis manere potest informis in homine peccatore.

DISPUTATIO II.

De charitate.

ARTICULUS I.

De objecto materiali charitatis.

PROPOSITIO I.

Objectum materiale primarium charitatis est Deus; secundarium verò proximus.

Prob. 1. pars, 1. Ex Apostolo dicente Rom. c. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*: dicit enim charitatem Dei, interpretare S. Augustino lib. de spir. & lit. c. 32. non solum quia charitas à Deo donatur, sed etiam & maxime quia ad Deum terminatur primario & principaliter. 2. Ratione. Illud est objectum materiale primarium charitatis, ad quod charitas primario terminatur. Atqui charitas primario terminatur ad Deum. Ergo, &c. Prob. min. Ad illud primario terminatur charitas, in quo objectum formale charitatis